



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Oratio. Ad impetrandam devotionis gratiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

4. Scribe verba mea in corde tuo, & pertracta diligenter: erunt enim in tempore tentationis valde necessaria.

Quod non intelligis, cum legis, cognosces in die visitationis.

Dupliciter soleo Electos meos visitare; tentatione scilicet, & consolatione.

Et duas lectiones eis quotidie lego: unam increpando eorum vitia; alteram exhortando ad virtutum incrementa.

Qui habet verba mea, & spernit ea, habet, qui iudicet eum in novissimo die.

ORATIO.

Ad impetrandam devotionis gratiam.

I. Domine Deus meus, omnia mea bona tu es. Et quis ego sum, ut audeam ad te loqui? Ego sum pauperrimus servus tuus, & abjectus vermiculus: multo pauperior, & contemptibilior: quam scio, & dicere audeo. Memento tamen Do-

H 4

mine,

mine, quia nihil sum, nihil habeo: nihilque valeo. Tu solus bonus, justus, & sanctus; tu omnia potes, omnia præstas, omnia imples, solum peccatorem inanem relinquens. Reminiscere miserationum tuarum, & imple cor meum gratia tua, qui non vis esse vacua opera tua.

2. Quomodo possum me tolerare in hac misera vita, nisi me confortaverit misericordia, & gratia tua? Noli avertere faciem tuam a me; noli visitationem tuam prolongare; noli consolationem tuam abstrahere, ne fiat *anima mea, sicut terra sine aqua tibi.*

Domine, doce me facere voluntatem tuam; doce me coram te digne, ac humiliter conversari: quia sapientia mea tu es, qui in veritate me cognoscis, & cognovisti antequam fieret mundus, & antequam natus essem in mundo.